

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-quinto mensis Febuarii, Anno Domini M.DCC.LIX.

M. GUILLELMO FUMÉE, Doctore Medico Præside.

An detur Imaginationis materna in fœtum actio?

I.



FŒTUM in uteri claustro degentem sævo imaginationis maternæ imperio subditum esse, illique ab ipsâ infensissima imminere pericula tam communis est, quàm antiqua opinio, & à doctis æquè ac indoctis accepta. Quonam autem fato tantam sibi conciliaverit autoritatem, nec imperitiæ solùm levitatem, sed & scientiæ constantiam subegerit, quò plus inquiritur eò minùs potest intelligi. Fundamenta enim

* *Autore M.* P*ETRO* B*ERCHER*, *anno 1741.*

illius investiganti, ortus in antiquitate, aut in inscitiâ vulgi immersus nil nisi incerti atque obscuri relinquit, quod rationem numquam potest suadere : attendenti solus intuitus, naturæ pietati atque institutis repugnantia offert quæ humanitatem necessariò debent offendere. Quippe cùm natura fœtum usque in ipso primæ fragilitatis propugnaculo humanis omnibus miseriis subjecerit, an etiam natis inusitatum non nato soli imminens periculi genus addiderit, ut quo minùs valens est eò pluribus oneraretur malis. Satis igitur non erat mollem ac vix compactum infantulum, iisdem quibus robustissimi ac firmissimi infirmitatibus subjici, paria sortiri mala, omnia communicare incommoda, ni speciales etiam misero natura struxerit insidias, è quibus infestissimi erumpentes morbi tenerum corpus crudelissimis lacerarent mutilationibus. Hoc enim imaginationi maternæ officiosum in infantem munus tribuunt qui actionem ejus agnoscunt; illiusque membra, corpus, mentem, vitam denique inanibus tradunt imaginibus, quæ tyrannidem in insontem expleant, quam in sontem matrem non possent exercere. Quæ matrem ludicrè recreabunt, fœtum perniciosè lædent; quæ matrem leviter & ad tempus afficient, fœtum graviter & in perpetuum vulnerabunt? Jam quod sine quodam horrore ne cogitare quidem possumus, persuasum haberi sinendum non est, naturaque ab injuriâ, imaginatio à scelere, matres à sollicitudine sunt vindicandæ. Quonam autem medio tam latè pervagatam, tam altè mentibus insitam opinionem evellere atque expellere poterimus? Ad rationis lumen, ad experientiæ documenta confugiemus, quibus ducibus iter ad veritatem tenebimus certissimum. Si ratio respuit, si experientia destruit, profectò non scientiarum dogma, sed vulgaris est error, opinioque muliebris, quæ nullo alio nisi vetustatis titulo inter dogmata medicinæ indebitum sibi vindicat locum.

I I.

NULLUM enim alium cognoscendi sciendique modum habemus præter rationem & experientiam, quæ solæ nos per difficiles scientiarum semitas perduxerunt & faces in obscuris, & duces in incertis, & præsidia in præruptis. Ex illarum solo fonte manat quidquid novimus, quidquid tenemus, quidquid asserimus, quidquid scire dicimur. Sunt igitur signum & quasi caracter scientiis impressum, quo se tradunt ab opinionibus dignoscendas. Porro rationis effigiem in nobis habemus, evidentiam nempe, in quâ velut in speculo illam intuemur ac cernimus. Quoad experientiam longè secus est; indè tam frequentes de eâ errores, cùm qui in diversas abeunt sententias, experientiam tamen utrimque sibi vindicant, & distrahunt in contrarias partes. Itaque certis est designanda notis, quibus dignoscatur, sicque error omnis tollatur. Sunt quippe qui fugitivum eventum, aut momentaneum intuitum, levem animadversionem, aut etiam rumorem incertum pro experientiâ habeant & deduce errantes à scientiarum viâ necessariò deflectant, incidantque in illas contentiones quæ aliter evenire nullo modo possent. Nam de rebus in medium positis, & sensui nostro subjectis quæ potest inter experientes esse dissensio? Sed alii fortuiti fide casûs, aut obiter visi compertum judicant & asserunt; alii repetitas re-

quirunt. obſervationes circumſtantiaſque altiùs ſcrutantur. Num igitur experiri eſt, ſi quis primo intuitu, ſine deliberatione, ſine effectuum penſatione, ſine accidentium combinatione, nec iteratis experimentis ſubitò pronuntiaverit? Numquid ita v. g. judicatum eſt in Phyſicâ de causâ aquam in anthlias propellente, quæ nonniſi iteratis Experimentis, omnibuſque in unum conſentientibus, aëris incumbentis actioni tandem tributa eſt? Et ſanè quænam experientiæ fides erit, aut quid ex eâ certum colligi poterit, ſi non ſæpius obſervantur eventus, ſi non propiùs explorantur adjuncta, ſi non attentè & ſollicitè phœnomena ponderantur? Nam conſtare debere facta, & vagam auditionem, rumoremque incertum experienriam non eſſe, quid opus eſt dicere? At in facto etiam conſtanti, ſed non iterum obſervato, nonne ſe offerre poteſt accidens, quod ſors cum eventu conjunxerit? Et hoc pro causâ arripietur quod poſteriori experimento deerit nec occurret: & experientiæ fide cauſa prædicabitur, quam non modò non indicat, verùm etiam negat experientia. Si enim præſente quod pro causâ habetur ceſſet tamen effectus, aut abſente eveniat, quis eſt qui adhuc cauſam appellare poſſit, aut cui jam non eſt certiſſimè compertum cauſam non eſſe? Si quidem cauſa dicitur & eſt, quæ effectum producit; ergo quæ non producit cauſa non eſt effectus, qui à causâ producitur; ergò qui ſine eâ evenit, effectus illius non eſt. Cauſa igitur nec eſt nec affirmari poteſt, niſi quæ cum experimentis perſeverat, iteratis eadem ſemper concurrit, quâ ſublatâ aufertur effectus, præſente ſemper adeſt, variatis denique experimentis ſe offert invariata. Tunc verè compertum eſt, illique experientiæ ſe committere neceſſe eſt, etiam ſi connexionem effectûs & cauſæ ratio non ſentiat, cujus illa tunc exiguitati ſupplet & anguſtiis. Experiri itaque eſt non leviter & uno oculi conjectu videre, ſed attentè & aſſiduè contemplari, non temerè perſtringere, ſed ſtudioſè ſcrutari, non inconſideratè aſſerere, ſed accuratè ponderare. Experientia non obſcurus & incertus eventus, ſed apertus & certò notus, ſed conſtans, non varians, ſed ſimilis, non hanc modò, modò illam, ſed eamdem & ſemper & ubique cauſam oſtendens. Hæc ſcientiarum fons, altera errorum. Hâc imaginationis actionem non modò non confirmari, ſed etiam impugnari contendimus; ratione planè everti. In exponendo ab experientiâ ordiemur, tum quia in rebus Phyſicis primas tenet, tum quia mentibus iſtius falſo ſplendore obcœcatis ratio in vanum exhiberetur.

III.

MIRUM ſatis videri non poteſt nemini in mentem veniſſe rumorem de imaginationis actione pervagatum explorare, allata ſcrutari, facta inveſtigare, denique & prægnantis affectus, & fœtûs deformitates certò confirmare, priùſquàm ipſe crederet aut aliis credendum traderet; & cùm nihil in Phyſicis acceptum fuerit, niſi accuratè compertum, in hac & accipiendâ & tranſmittendâ opinione nihil fuiſſe quidem perſpectum. Opinio à mulierculis excepta, in ſcientias traducta eſt; & ut ſtructor qui ædificium ſuper arenam ſtrueret, plurimi ſyſtemata

quibus illam explicarent ſuper levem rumoris auram ædificaverunt. Quid enim aliud pro experientiâ jactatur & prædicatur ? Occurrit forſan aliquando cum ſingulari prægnantis affectu ſingularis fœtûs deformitas ; imaginatio cauſa eſt. En præclarum experimentum ! En firmiſſimi dogmatis fundamentum ! Nec obſervatis adjunctis , nec pluries exploratis, nec etiam factis inquiſitis aut planè cognitis. Utamur exemplo , experimentumque à Jacobo Britanniæ Principe petitum expendamus , in quo ſolo licebit quia perſonarum præſtantia factum conſpicuum effecit, cætera in perſonis obſcuris , obſcura quoque remanſerunt. Stricti gladii horrorem illi impreſſum aiunt, quia prægnantis in cubiculo matris ipſiuſque conſpectu, amicus & familiaris ſtricto gladio interfectus eſt. Non dicam , quod notum eſt , non gladii ſolius , ſed cujuſvis teli parem fuiſſe metum , perinde non ex ſpeciali caſu , ſed ex animi mollitie profectum. Non quæram etiam cur mens enſis timore affecta fuerit , nec potius corpus enſis imagine ſignatum. Quæ jam & experientiæ levitatem & ſyſtematis inconſtantiam demonſtrant. Scilicet in tam funeſto tragicoque caſu fuit hoc unum quod mater animadverteret, ad quod attenderet, quo percelleretur. Dum ſicarii minarentur , dum confugeret ad eam amicus , dum vulneraretur, dum manaret cruor, dum lethalibus agitaretur convulſionibus , ſolum ferrum commovit, ſolum affecit , & impreſſionem fecit graviſſimam , quod inter tot horrores erat leviſſimum; eòque leviùs quod Reginæ , ut erat , oculis familiariter verſatur. Nec minaces illa ſenſit ſicariorum oculos, quibus oppoſita erat, nec furorem in vultu expreſſum, neque vulnerantium crudelitatem , quæ præſertim occupare videntem , quibus imbui oculi , percelli imaginatio , ſignari infans potiſſimùm debuerunt. Quòd ſi aut furioſus fuiſſet , aut crudelis, aut armorum avidus atque cædis, affectum ſanè illum multò meliùs imaginatio ſibi vindicaſſet. Et cùm contrarium evenit æquè illi tribuetur. Sed tribuant : hæc ipſa illis deeſt experientia. Hunc enim effectum imaginationis ineluctabilem prædicant , vulneribus prægnantis in conſpectu illatis , fœtum pariter vulnerari , aut ſaltem vulneris effigie ſignari. En è ferro crudeliler perfoſſus, en inſpectante gravidâ & ad pedes ipſius; infans ne leviſſimo quidem ferri aut vulneris ſigno maculatus. Noſtrum eſt hoc experimentum. Quando aget imaginatio ſi non in tam gravibus, tam atrocibus, tam intimis ? Quæ fœtûs membra diſrumpere valet uſque eò ſui oblita eſt, ut tot horrorum ne minimam in infante ſpeciem exprimeret! Principis quippe corpori pepercit , & ſceptro deſtinatum è communi ſorte exemit, quem etiam gerentem natura cœteris omnibus exæquat. Utinam quidem cœterorum quoque quæ jactantur exemplorum ſingula innoteſcerent , nobiſque pariter diſcutienda ſubjicerentur , è quibus contrariam , aut ſaltem nullam facilè deduceremus experientiam. Sed ne in uno quidem eventu conſtant & cognita ſunt, nedum plurimorum experimentorum quæ conveniant certa poſſit edi congeries, quæ tamen ſola Experientiam conſtituit. Enarratur indeterminatè matrem fuiſſe perculſam, natum inde infantem aut maculatum , aut deformem, aut etiam mutilatum. Nec quo geſtationis tempore , nec an perculſa verè mater, nec etiam an fœtûs affectio affectioni maternæ reſpondeat quiſquam aſſerere aut determinare poteſt. Ut in illo tam cele-

bri infante quem, quia vidente matre fracta damnato membra fuerant, pari ſupplicio affectum in utero vulgatum eſt. Cujus infirmitatem nihil aliud fuiſſe quam oſſium præter naturalem mollitiem pluſquam veriſimile eſt. Sed neceſſe non eſt de unoquoque eventu ſigillatim argumentari, quibus quiſque pro arbitrio addere & detrahere poteſt, ſufficiet ad ſtabiliendam propoſitionem, quod apud omnes conſtat, & experientiâ quotidianâ confirmatur, matres objecto quodam ſingulari commotæ, & ita commotæ ut de fœtu timerent, illæſos præter ſpem partus ediderunt. Apparent quoque portentoſi fœtus quorum neque imago umquam matri objecta, neque quidquam ſimile in rerum naturâ extitit. Quid plura? Aut quomodo, diutius ſtare poterit hæc opinio? An quæ tam evidenter non agit, cauſa tamen adhuc poterit haberi. An non alteri credetur quam eſſe monſtrat experientia? Non hîc aut rumor incertus aut obſcura facta, aut à paucis & indoctis enarrata, ſed quod omnibus propoſitum eſt, omnibus notum, ab omnibus æquè confeſſum. Explicent igitur cur tam ſæpè iners remaneat & impotens imaginatio. Quâ ratione omnibus paribus non agat nec effectum producat. Quod ſi non poſſunt ſi rationi repugnat; pro certo maneat non modò nullam ipſis favere experientiam, ſed etiam illorum opinionem deſtrui, & annumerandam eſſe inter eas quæ à vulgari temeritate, aut inſcitiâ ortæ, in diſciplinas irrepſerunt, prout iſta quæ temporum importunas viciſſitudines lunarium phaſium viciſſitudinibus crimini dedit. In hoc autem cum experientiâ ratio conſentit, quam mox videbimus.

I V.

HUC verò tot concurrunt rationes, tanta argumentorum copia, ut non in inveniendis, ſed in eligendis ſit labor. Quid enim primò reſponderi poterit, ſi quæratur quibus organis imaginatio tam diverſimodè fœtum afficiat? Quibus inſtrumentis brachium, crus à corpore avellat? Quid de avulſis fiat? Quo balſamo vulnera curet, hæmorrhagias ſedet, cicatrice obducat? Quomodo, quibus membra ut in cruciatis ſuffringit, eos à morte neceſſariâ vindicet? Quomodo contusâ, deſtructâ, amiſsâ tantâ ſubſtantiæ quantitate, fractis & etiam tritis oſſibus, dilaceratis carnibus, apertis vaſis, reſectis nervis, vitam tamen per viginti annos conſervet & producat? At carnes laceratæ non erant, non aperta vaſa, non reſecti nervi. Benignam imaginationem! quæ uterum auxiliis & inſtrumentis impervium prævidit; & oſſa frangendo carnibus pepercit, ſymptomataque ita præpedivit, ut nec jungi unquam poſſent, nec disjuncta nocerent. Quotidiè illicito coitu prægnantes remediiſque vel potentiſſimis abortum tentantes, fœtum tamen ad terminum perducunt, aut ſi ſequatur abortus, non ex remediorum in fœtum ſed in ipſam matrem actione. Debilis imaginatio totum infantuli corpus deſtruet, invertet, lacerabit, quod vehementiſſima non potuerunt remedia. Sed ad ea omnia quæ fieri contendunt communicatio inter matrem & fœtum requiritur: an per ſanguinem? an per nervos? Primis geſtationis temporibus neutro communicari ex omnibus conſtat autoribus, fœtumque liberè in utero fluitare donec craſceſcens illique applicitus matri adhærere incipiat. Jam

hoc toto tempore quo mollior est & flexilior infans, ab imaginatione salvus est & incolumis. Initâ autem fœtûs cum matre communicatione initur ne etiam cum imaginatione ? Non certè ex parte sanguinis qui aut ex matre in infantem non transmittitur, aut si transmittitur, imaginationis ad ea quorum insimulatur, instrumentum esse non potest. Undenam enim illa in hanc potius quam in illam partem determinatio ? Unde hæc actio electiva, quâ hoc vel illud membrum hoc vel illo modo afficiet & conformabit ? Nisi fortè intelligentiâ donatus fuerit, ut cui infensa est imaginatio ad illud se vehementiùs conferat vulnerandum ; aut memoriâ, ut notam ipsam ferat quam mandavit imaginatio. Supersunt nervi quos ut viam imaginationi opportunè patentem ab ipsius fautoribus arreptos video. Finxerunt quippe spiritus animales ad minimum imaginationis nutum miserias, vulnera, plagas, necem ad fœtum portantes ; porro ubi lateant isti nervorum mirabiles plexus, quibus tanquam crudelitatis suæ famulis è solio materno tyrannidem in fœtum exerceat imaginatio, à nemine adhuc est demonstratum. At compertum est Anatomiâ, ubi sunt arteriæ, ibi comites esse nervos. Sint isti, neque enim negare opus est. Quomodo per eos, spiritus animales tam varios, tam singulares, tam stupendos producant effectus, nec explanari, nec intelligi posse omittimus. At compertum est quoque Anatomiâ nullam esse nisi continuorum nervorum actionem, resectisque illicò perire. Si itaque demonstramus nullos ex matre ad infantem continuos esse nervos, præcisa via est, nulla jam actio, systema totum corruit. Videamus ergo uteri structuram, modumque quo illi fœtus adhærescit. Uteri substantia spongiosa est ac cellularis, talisque ut observanti videatur confusa retium quasi temerè dispositorum compages, seseque in omnem sensum intersecantium. Fibrarum distractione in ipsius internâ superficie dehiscunt undique foramina in imam penetrantia substantiam. Inter retium quasi areolas diffunditur sanguis ab arteriis advectus, cujus effusionem in virginibus & non gravidis præcavet partium sola constrictio. In gestantibus verò quibus utero distenso foramina recluduntur, obturantur à placentâ cum membranâ ipsius exteriore quæ ipsi applicatur. Illa autem fundum uteri occupans, venis suis quasi radicibus, per hiantes aperturas succum fœtus nutritium haurit. Non igitur major est nervorum uteri cum nervis qui in placentâ esse possunt, continuitas, quàm radicum arboris cum terræ substantiâ. Arbor radicum per terram serpentium ope ex ejus visceribus sine ullâ fibrarum continuitate succum exprimit, qui deinde per truncum ad ramos devehitur ; fœtus placentæ venis succum in utero secretum ebibit, qui deinde per funiculum umbilicalem ipsi asportatur. Unde evidenter patet nullam matrem inter & fœtum esse nervorum communicationem ; immò apparet quâ sollicitudine hanc ab eâ quantum potuit natura sejunxerit ; ne scilicet ex variis matris affectibus fœtus quidquam perpeteretur, nedum continuitatem instituerit nervorum quorum conjunctio non potest intelligi, qui vacuo utero otiosi remanerent, prægnantem unoquoque partu sui disruptione graviter cruciarent,

V.

HIS tàm gravibus rationum momentis certiſſima ſanè requireretur experientia quæ prævaleret, nec niſi probatiſſimâ adduci poſſemus ad credendum maternam nihilominus imaginationem cum fœtu communicare, ad eum pervenire, in ipſum agere. Nunc dubitare poterimus quin nulla ejus exiſtat actio? Cùm nulla proferatur experientia. Cùm vera experientia imaginationem quotidiè perculſam offerat ſine fœtu impreſſo, ſicque cauſam non eſſe affirmet; cùm fœtus impreſſos ſine imaginatione exhibeat, ſicque alteram cauſam eſſe demonſtret. Quæ ſit illa exponere propoſitum non eſt, cùm nihil aliud voluerimus quàm imaginationem ab actione in fœtum removere & ab injuriâ vindicare. Non una tamen ſed mille poſſunt indicari, quæ omnes propriùs ad informationem fœtûs accedunt quàm imaginatio. Certæ v. g. partes non expanduntur, dum aliæ ultra modum creſcunt; duo fœtus aut variæ duorum partes in utero temerè conjunguntur. Præterea ſeminis vitia, morbi vel matris, vel pueri plurimùm etiam poſſunt. Denique luſus naturæ, quæ in omnibus ſuis operibus quid portentoſum miſcere amat. Nonne in interiori corpore inſolitæ viſæ fuerunt partium conformationes, inverſiones, tranſpoſitiones? Cur non in exteriori pariter ludet, & in hunc & in illum modum aget & verſabit? Nunc corpus format, nunc informem molem, nunc digitos addit, nunc detrahit. Nec in homine ſolùm hæc efficit, ſed & in animantibus; nec in animantibus ſolùm, ſed & in vegetantibus, in quibus quæ accidunt prodigia imaginationi certè non tribuentur. Quid mirum autem ſi in homine quandoque cum viſu materno concurrant, præſertim cum per novem menſes innumera diverſæ formæ objecta prægnantis oculis occurrere potuerint. Quòd ſi exinde quocumque modo afficeretur infans; nullus ſine aliquâ deformitate naſceretur. Non tamen ſuam imaginationi in ipſum imaginantem vim & actionem denegare volumus, quam maximam eſſe conſtat, & confitemur. Sed in alienum tantùm poſſe, hoc experientiæ, hoc rationi, hoc naturæ legibus, conſuetudini, inſtitutis contrarium eſt & repugnat. Quorſum hanc imaginationi potentiam natura conceſſiſſet tam infeſtam puero, ipſi nullo modo utilem? Neque enim per eam aut alitur, aut fovetur, aut munitur, quæ omnia aliunde puero ſuppeditantur. Ex eâ nihil aliud niſi pericula, niſi morbi, niſi vulnera, niſi mors. Quo ſtudio, quâ curâ, quâ pietate præcavit, avertitque natura quidquid infantulo noxium, aut moleſtum, aut importunum fuiſſet! Quâ arte, quam quotidie miramur, ab imprudentibus aut etiam neceſſariis matris motibus, quibus lædi potuiſſet, tutavit ac defendit. Membranis illum involvit, mediis collocavit aquis, quæ externorum omnium vim obtunderent. An igitur hoc aperto pietatis apparatu voluit nobis illudere, dum occultas crudelitati ad nocendum vias reſervaret? *Optima parens eſt natura quæ nihil inane ſolet efferre, ac potiùs in rebus quas efficit, admiranda ſemper edit, vel pietatis, vel juſtitiæ, vel prudentiæ documenta.* In hoc non modo quid inane extuliſſet, ſed crudelitatis documentum, quæ fontem malorum perennem ac ineluctabilem fœtui ſine neceſſitate

aperuisset, injustitiæ, quæ innocentem alienæ fontis matris imaginationi subjecisset; temeritatis, quæ quem à necessariis matris motibus defendit, eumdem vanis ac fortuitis affectibus ultrò obtulisset.

Non ergo datur Imaginationis maternæ in fœtum actio.

Nuperrimè vidit theseos Celeberrimus Præses, Chirurgi Parisiensis peritissimi uxorem, *D. Osmont*, quæ unius tantùm mensis intervallo à variolis, quibus anteà gravissimè decumbebat, quam per totum morbi cursum sedulò curaverat, & quam *D. Bourdelin*, tunc etiam vidit consultus: illa inquit, perfectè sanata, duos peperit filios; quorum unus & prior, toto corpusculo adhuc variolis pleno; in quibusdam partibus cute excavatâ, in aliis ablatâ epidermide, mortuus; alter verò hocce truculento morbo immunis & vivus. An hæc observatio adversariorum opinioni favet?

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius-Thomas-Guillelmus-Guilbert de Préval.

M. Jacobus Gourlez de la Motte.

M. Joannes-Baptista Basseville.

M. Jacobus-Franciscus Bringaud.

M. Jacobus-Franciscus Latier, Regis Consiliarius & in supremo Senatu Parisiensi Medicus designatus.

M. Claudius-Josephus Gentil, Militarium Nosocomiorum ac Regis exercituum Medicus.

M. Ludovicus-Alexander Vieillard.

M. Ludovicus-Guillelmus le Monnier, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in nosocomio Regio San-Germani in Layâ, Regiarum Parisiensis, Londinensis ac Berolinensis Academiarum Socius, & in Horto Regio Botanices Professor ac Demonstrator.

M. Josephus-Exuperius Bertin, supremi Valachiæ & Moldaviæ Principis, dum viveret, Medicus ordinarius, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius Veteranus.

Proponebat Parisiis CESAR COSTE, Arelatensis, Doctor Medicus Avenionensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1759.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typographi, 1759.